

firmat sententiam nostram, qui asserimus, non posse plus exprimi in ectypo quàm sit in archetypo. Hic verò dum sic inter alia scribit: *ex Ficino rectè intelligatur Plato. Cæterum si hujus interpretationis rusticam simplicitatem, cum illius dissimulato, palam contempto, clam affectato compares apparatu: à Noctua putes Aquilam representatam &c.* indicans Ficinum interpretem in Latino sermone non satis perfectè Platonem, græcè multò splendidiùs loquentem, exprimere ac repræsentare, comprobat eandem assertionem nostram.

Corollarium.

12. Qui simpliciter statuit, mentem nostram posse habere ideam alicujus rei, quæ absolutè loquendo nec sit, nec esse possit, is existentiam Dei ex idea Dei demonstrare nequit plurimisque se involvit absurditatibus.

EXERCITATIO XX.

An possimus ideam habere plurium Deorum,

I. **C**elebris Philosophus Parisiensis demonstrationem existentiae Dei ex idea Dei, fusè hæctenus à nobis explanatam,

K 5

natam,